

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](#)

89. Mentis generosæ in se collectus ardor veluti per antiperistasim, adversitatibus irritatus magis accenditur, & inter ipsa infortunia se manifestat: nunquam deficit, sed quò plùs vincendum reperit, eò plùs roboratur. At major adhuc vis patientiæ: nihil agendo omnia vincit, & instar castri munitissimi absque adjumento iracundiæ repellit hostem.

90. Currus victoriæ trahitur à prudenter & fortitudine, quibus si consilium junxeris, & animi robur, duplicabis vires in omnem insultum. Nihil ità fortunat generosum animum, ac prudens ratio gubernandi.

#### *DECAS X.*

91. Temperantia evehit sese ad solium virtutis, quod est medium: omnes quippe virtutes, ut tales sint, hunc locum ambire oportet, quem temperantia naturâ suâ possidet. Ipsa appellatione cognoscitur esse virtus, jam ab ortu suo eò evecta, quò reliquæ omnes aspirant. Res mira! quod in moralibus virtutibus majus est, hoc eas imminuit: excessus transit in vitium, solaque mediocritas virtus est. Ab illa con-

diuntur

diuntur omnia, & quidquid naturâ suâ sapidum est, absque illa redditur insulsum. Illa honesta sustentat, obsonat dulcia, & utilia procurat.

92. Multùm supereft temperanti; quia passio sumptuosa est, & prodiga; ast horror vitiorum colligit, & ditat. Plurimùm congregat, qui nihil inutiliter dispergit; idcirco Temperantia non solum virtus est, sed thesaurus. Alea, & mulier plus absumunt, quàm voracissimum incendiū.

93. Eâ ratione corpus tuum habe, tanquam sinè quo vivere non possis. Cave illi vivas: quia non vivis propter illud. Mensura commoditatum sola necessitas sit, non cupiditas, aut voluptas. Hæc enim feracissima est omnis molestiæ, & januaria doloris.

94. Virtutis effigiem nemo melius expresserit, quàm ipsa mors, tanquam optimæ vitae idea, & norma. Si cupis bene vivere, consule demortuos, illi magistri tui erunt. Nulli meliorem vitam agunt, quàm qui mortuis assimilantur. Philosophia mortis meditatio est; ista vanitatibus larvam detrahet, dedocebit vitia, & virtutis immensa commoda aperiet.

95. Ut tui oblivionem nunquam ineuras, memineris semper te moritum. Fœcundissima est mortis recordatio: admonet hominem ejus quod est, quod debet esse, & quod illi incumbit agere. Magistra est, & benefactrix vitæ: docet vivere, ut gaudeas vixisse.

96. Nè existimes, quòd cum morte definas solum vivere, desinis quoque mori. Ex quo cœpisti esse, cœpisti desinere: ex quo vivis, moreris. Lumen vitæ idem est, quod candelæ: indè moritur, unde vivit; indè consumitur, unde alitur.

97. Quid eras, priusquam te orbis habuit? Inquis: Non eram. Non esse extrema necessitas est. At quid nunc es, qui paulò antè non eras? & dum cœpisti esse, penè nihil es, ac in brevi ad nihilum rediturus es? igitur cùm omnia nihil sunt, unica virtus aliquid est, imò multum est; quia multùm potest, & te magnum facere potest. Æstimemus illud unde solum æstimari possumus.

98. Penè idem est diu vivere, ac diupati. Flendo nascimur, querendo morimur.

& vivendo periclitamur. Id unum solari  
nos potest, neminem cœpisse vivere, qui  
non cæperit simul mori; atque ita vivere  
& pati eodem momento inchoare, eodem  
desinere.

99. Virtuti tanta est accessio ab eo, qui  
patitur malum, à quo illa abhorret, quām  
ab illo, qui gaudet de bono, quod illa pro-  
sequitur. Miserum te! si anima in corpo-  
re, alio quām salis munere non fungitur,  
id est, conservandi, non gubernandi.

100. Virtus quidem est accidens homi-  
nis, sed quæ substantiam conservat. Con-  
didit Deus creaturas omnes, ut serviant  
homini, hominem verò, ut cum omnibus  
illis serviat Deo. Virtus sola est, quæ te  
hoc honore dignum efficit; & tu per il-  
lam eundem tribue Creatori.



## Dictamina Stoica.

### DECAS I.

#### I.

**Q**uemadmodum non quod posside-  
mus, sed quod in votis est, delectat  
ita non quod deest, affigit, sed quod con-  
cupisci-